



Del zu Pms Za 6535 d 40

aber teils. andere Drucker

MANIBVS
DIESKOVIANIS
S.



* * * * *
* * * * *

TV quoque justitiæ vindex venerabilis umbras
Quæris fatales? Urna tribunal erit?
Urna? Tribunal? Erit Tibi fors pro lege, vetusque
Gloria, magne Senex, pulvere sparsa levi?
Umbra tegat nomen tantum, campique silentes?
Quæ loca tristis habet nox, ea pronus adis?
Fallor. Ut effigiem figas ad lucida famæ
Et divæ Astrææ limina, lætus abis.
Orbem sidereum, constans ubi gloria fulget
Virtutisque thronus, lumine lætus adis.
Magnus eras meritis; gestis bene rebus in altum,
Nox ubi nulla movet tristitia, major abis.

Orpheus

Orpheus num potuit celebratam ad sidera quondam
Ferre Iyram ? Melius Tu tua facta feres.
En! via plana patet, niveo candore superba,
Mentibus egregiis debita, certa Tibi.
Justitiæ templum pandit Tibi dextra Themistos,
Laudibus ista Tuis æra polita parat.
Talia namque inter præstantia nomina ponet,
Hoc decus ista Tuum prædicat este suum.
Pallor & umbra vale. Lex hæc pro forte valebit:
Dieskovii splendor funera clara facit,
Ergo nec Harpocrates digito premet ora silenti;
Laudat enim summum vita obitusque Virum.

Nam si nobilitas clypeis & honore superbit
Majorum: hæc etiam fors Tibi pulcra fuit.
Et genus & proavi clarent, longinqua vetustas
Optima quæque refert, nobile stemma docet.
Nobilitatis honor virtus est unica; laudis
Illius usque fuit maxima cura Tibi.
Roma suos jactat Paulos Drufosque. Quid illos
Commemorem? Valeant. Tu probitate vales.
Tu probitate domum fultam illustremque relinquis,
Area virtutum fulget imaginibus.
Nobilium laus est, studiis dare pectora rectis,
Hæc bona sunt animi, cætera mortis erunt.
Hoc Tibi dulce fuit, fama florere benigni
Ingenii, fuit & vivida flamma Tibi.

Qualis

Qualis Phœbea luſtrat ſol lampade terras,
Ingenii nobis lumine talis eras.
Ac veluti cedrus ſylvas ſupereminet altas,
Tale Tuum robur, vis tua talis erat.
Maturusque ſpei fœcundæ magna dediſti
Signa, Vir Excellens, auguriumque bonum.

Hinc iuvat a puero didiciſſe fideliter artes,
Et quicquid pulcri Saxo politus habet.
Nec fatiſ. Externas gentes ac diſſita longe
Arva vides, diſcit mens oculusque proba.
Nam Rhenum, Sequanam & Tiberis juga culta ſalutas,
Quæque ferox rapidis alluit Iſter aquis.
Nobilior reditu condis Te rure paterno;
Sed Tua Te virtus indicat, aula trahit.
Ceui pretioſa nequit ſervari clauſa tenebris
Gemma, micat longe flamma, vocatque viros.
Patria, Rex civiſque ſuum ſibi quærit & optat,
Te tandem Princeps, patria, civis habet.
Conſulis in medium; per Te res publica floret;
Unde a conſiliis nomina digna capis.

Sed Tua jam ſummo fuerat, Vir ſumme, facultas
Digna loco; noſtrū Te Pharus ergo cupit.
Laude ſubis Regimen; gaudet ſanctiſſimus ordo,
Tuque boni præſtas iudicis officium.
Prudens nempe, ſciens conſtansque ſit arbiter æqui;
Hæc tria Te tollunt, hinc Tibi fama venit.

Nunquam conscendis recta sine lance tribunal;
Navim flectendam ceu Palinurus agis.
Per Te causa gravis felici tramite currit,
Longas ambages, devia quæque fugis.
Ordo, modus, ratio, jus, lex, sententia causæ
Respondent, justo digna reoque fluunt.
Sermo gravis, mens sancta, decens vox, aurea lingua;
Omnia digna probo iudice, digna foro.
Multis Lycurgi sapientia magna videtur;
Jura, Vir Illustris, Tu meliora dabas.
Dicta Catonis habent multum librata rigorem;
Tu iudex multo candidiora dabas.
Quicquid tentares, mens atque scientia multa,
Quicquid sentires, gratia, candor erat.
Sic Tecum claret sanctissimus ille Senatus;
Sic est justitiæ civibus ara Pharus.

Præterea morum studiis Tua vita reluxit,
Ut summo fulgent sidera multa polo.
Æquus eras, facilis, bonus, officiosus in omnes,
Candor erat, dico plura, paternus amor.
Ipse ego sum testis, grata quoque mente revolvam,
Quis fuerit meritis ille paternus amor.
Ut genitor natum, sic me, Vir summe, juvabas
Consiliis promptis, rite gerenda docens.
Felix hoc aditu lætor, semperque paterna
Ornatus plaudam dexteritate tua.

Qui-

Quique Tui primus pulcrum mihi fideris usum
Præbuit, ut nossem, quæ facienda forent,
Hic mihi semper erit Mæcenas, hunc ego grato
Pectore devenerans semper honore colam.
Nunquam cessavit vigilantia, cura laborque,
Civibus ut cunctis emolumenta dares.
Sunt, quos falsa juvant, quos non tenet ardor honesti;
Te labi non est provida passa fides.
Ambitio fallax quam plurima pectora vexat;
Tu submissa petens pectore, magnus eras.
Unde, Vir Illustris, morum bona tanta resulant?
Est pietas! Veniunt hinc bona tanta Tibi.
Nimirum pietas virtutes continet omnes;
Inde vir excellens ac generosus eras.
Sedulus imprimis sacrata volumina vatam
Volvisti, scires ut pia iussa Dei.
Hinc Tibi crevit amor sanctus verique bonique,
Inde fides, pietas commoda quæque dedit.
Hæc quanti fuerit, victrix patientia monstrat,
Miram quam fecit longus edaxque dolor.
Membra valetudo lacrymabilis ægra fatigat;
Mens infracta tamen perficit officium.
Fortius haud quicquam visum me iudice; firmo
Stat talo pietas, inter acerba labor.
Tandem, fatalis cum vitæ terminus instat,
Ceu Simeon placide cœlica tecta petis.
Extinctum sidus Pharus & provincia luget;
Sala gemit, miscet turbidus Albis aquas.

Tu

Tu tamen interea tantarum in munere laudum
Æternum pandis carmina læta Deo.

Pallor & umbra vale! Lex hæc pro forte valebit:
Dieskovii virtus funera clara facit.
Magnus eras meritis, famæ nihil invida turba
Obfuit, ingenii stant monumenta Tui.
Virtutique Tuæ nunquam fortuna molesta
Exstitit, usque Tuæ nobilitatis amans.
Eloquar an fileam? Tu clara in luce triumphas,
Est Tua fors nostro grandior eloquio,
Multa darem; verum Tua sidera cerno. Tacebo.
Nil in luce mei carminis umbra potest.

Pictatis & observantia
ergo

LIC. CHRISTIAN MÖSCHEL,

Scab. Reg. Hall. Assessor, ut & inclyt.
ordin. provinc. Duc. Magdeb. & præ-
nobiliss. Magistrat. Salz. Syndicus.




78 M 407

ULB Halle 3
004 387 996




50





ten Muth/
mehr beglückt/
ID gewidmet
Muth



MANIBVS
DIESKOVIANIS
S.

